

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Gloria mala siue uana e
cum fontibus primis

Non est tanti gaudii excelsa
tenere, quanti meroris est de
excelsis corruere;

nec tantam gloriam sequi post uictoriam,
quantam ignominiam post ruinam.

Ambrosius in suo pastoralis.

Primitiua iuxta litteram sunt animantium
et inanimantium quae prima nascuntur et
quae primum terra gignit, primitiae
quoque ciborum nostrorum sacerdotibus
offeruntur ut nihil gustemus nouarum
frugum nisi quod sacerdos ante
gustauerit; hoc autem facimus, ut
reponat sacerdos benedictionem et
oblationem nostram in domo sua, siue ut
imprecatione eius Dominus benedicat
domibus nostris: grandis dignitas
sacerdotum, sed grandis ruina si peccent;
laetamur ad ascensum sed timeamus ad
lapsum:

non est tanti gaudii excelsa
tenuisse, quanti meroris de
sublimioribus corruisse – neque enim
solum pro nostris delictis reddemus
rationem, sed pro omnium quorum
abutimur donis; et nequaquam sumus de
eorum salute solliciti -.

Hieronymus Stridonensis,
Commentariorum in Hiezechielem libri
XIV., 13, 44 (CCSL 75, F. Glorie ed.,
p.669, ll.1875-1888).

haec dicimus, ut prima te, fili Rustice,
fronte doceamus magna coepisse,
excelsa sectari et adulescentiae, immo
pubertatis, inuentiua calcantem perfectae
quidem aetatis gradum scandere, sed
lubricum iter esse, per quod ingrederis,
nec tantam sequi gloriam post uictoriam,
quantam ignominiam post ruinam.

Hieronymus Stridonensis, *Epistulae*,
125, 1 (CSEL 56, I. Hilberg ed., pp.119-
20, ll.16-17, 1-4).